



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

XXX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A poterat: hoc salutis augurium, cum aliis ceremoniis jam abolitis, restituit & Augustus Cæsar. Apud Livium sæpe reperias vota ejusmodi facta. In ara sive arcu Constantini Romæ vor. xx. scriptum, aspicias. In numo Maximiani Pœni vor. xx. in media laurea positum. Ita plerisque aliis locis & numis, vor. x. alibi, vor. xxx. votis quippe decennialibus, votis vicenalibus, tricenalibus: scilicet voti solum: quod ita postea posteritati commendabant, factis aut ex ære aut marmore monumentis.

MULTITUDO. CAP. XXXIV.

Illud autem scitu non indignum, quod vicenalis numerus multitudinis significatum habet, de quo Theocritum legas:

Ἐν τῷ ἐνδύσει ὀρεχθῆτος ἐνδὸν πάλῳ.

Viginti natorum Hecube neq; maximus Hector.

Ubi Poëtam numero abusum ajunt interpretes, pro multorum: propterea quod sit numerus multitudini maximè congruus, quod etiam apud Simonidem observantur. Homerus in ejusmodi significatum Undeviginti posuit, quod Latini uno minus viginti dicere consueverunt.

DUO MILLIA. CAP. XXXV.

Vlcena superius eo gestu figurari ostendimus, cum pollicis lævi unguem in eum indicis & infamis infimum locum, ubi digiti illi duo divaricari incipiunt, affixerimus. Idem gestus iisdem digitis in dextera, duorum millium est hieroglyphicum. Neque ultra repetemus, quæ super hoc gestu perperam à quibusdam aliis excogitata sunt. Sed ad calcem festinantes, triginta jam & ter millia proferemus.

XXX. CAP. XXXVI.

Triginta, uti ex Apulejo dicebamus, in denario indicabantur, indice & pollice ad apertis: ita tamen, ut utriusq; unguis ad osculum quodammodo coirent blando, inquit, amplexu Beda. Hieronymus eorum digitorum conjunctione molli.

NUPTIÆ. CAP. XXXVII.

Est vero numerus tricenarius nuptiarum hieroglyphicum, ut sacri Evangeliorum interpretes super Matthæo, affirmant, quod non multum abest ab eo numero per quem Ægyptii maritalem copulam, sive, ut apud Horum est, maris & fœminæ congressum significabant: geminæ quippe voluptatis interventu. Nam cum numerus, ut paulo ante dictum est, xvi. voluptatis signum haberetur, illi mox duo atque triginta nuptiarum hieroglyphicum esse constituerunt. Nuptiæ vero conjugalisque conjunctio eodem hic significato accipiuntur. Qui quidem congressus utriusque voluptuosus, cum, ut Ovidius diceret, utrimque resolvat, geminari idem tamen poscit ipsum voluptatis signum. Atque hoc illud est in Divinis literis, quod trigesimus annorum numerus pro maritali copula ponitur. Unde fructus ille trigesimus, qui offertur Deo, cum conjugalis vita castè puriterque, & nulla alterutrius partis injuria cum fide peragitur. Commode vero fecerimus, si rem hujusmodi sculpturi, eam non ex duplicatis xvi. vel ex integro xxxii. fecerimus, ac manum ipsam ea specie composuerimus, ut xxxii. repræsentet, unguibus, uti dictum est, lævæ manus duobus illis ad osculum coëuntibus, anularique & auriculari in flexum palmæ appressis, ut duo significant addita tricenis.

TERNA MILLIA. CAP. XXXVIII.

Idem gestus in dextera, qui xxx. in læva demonstrat, tria millia significat. Quæ fuerint vero apud Romanos millenariorum notæ, quæ paucissimis ætate nostra patuerunt, quæ earum ratio, in quinquageno & quingenteno numero copiosius explicabimus.

XL. CAP. XXXIX.

Quod si pollicis ejusdem suffragio lateri vel dorso in læva ejusdem indicis superinducta sit, ita ut signo facto digiti ambo quantum fieri potest extendantur, indice tamquam horologii cujuspiam

Nota signi

que quadra

genarii numeri.

meri.